



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Illvstrivm Controversiarvm Biga.**

**Caraccioli, Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1619**

Responsio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

## R E S P O N S I O.

28 **N**ON rarò inter disputandum accidit, vt si quid, vel ob rei obscuritatem, vel ob argumenti longitudinem prolixius est refellendum, id quidem molestiam fortassis, & fastidium creet, formidinem verò nullam potis sit incutere. Eiusmodi, nisi fallimur, erunt, quæ ex Innocentio, Ambrosio, atque Hieronymo obiecta sunt. Primum enim, quod ad Innocentium spectat, Archidiaconus ante trecentos annos, & post eum alij doctissimi, & grauissimi Canonum Interpretes, atque Theologi etiam complures, adeò doctè, & verè eius verba explicauerunt, vt nihil planè periculi iam sit, ob ea posse Iacobi, vel Pauli ad Hispanos accessum, aut aliqua ratione negari, aut in dubium vllatenus verti. Hieronymi verò atque Ambrosij dicta multò faciliùs interpretabimur, Innocentio explicato.

29. Porrò, si Beatissimi Innocentij verba ruditer accipiamus, quot absurda sequentur? Neque Calabri, neque Siculi, neque Melitenses, neque Narbonenses, neque Hispaniarum regio, aut locus vllus; imò (quod in Historia monstruosius est) neque ipsa Roma Paulum prædicantem, aut Ecclesiam instituentem habebit. Quibus tamen locis singulis B. Apostolum aliquandò fuisse, docuisse, prædicasse, partim ex Historijs fide dignissimis, partim ex ipsis sacris literis certò constat. Quocirca nonnulli, vt hæc, & alia quæ in idem deduci possent incommoda deuitarent, eò confugerunt; vt dicerent, in Responsis Pontificum ea quidem quæ ad fidei dogmata pertinent reijci, nisi læsa pietate, non posse. <sup>z</sup> At si qua Summus Pontifex obiter inserat, quæ rem quampiam gestam contineant, ijs cum sint eiusmodi, vt humana, hoc est, lapsui prona fide nitantur, licere, seruata tamen modestia, dissentire. Ea de causa Aristotelem fidem humanam virtutum intellectualium numero exemisse, quòd iuxta ad falsum atque ad verum inclinet. Hoc esse quod doctores Sacrorum Canonum Consultissimi, & Summi Pontificis Maiestati, vt patet est, deuotissimi, grauer docent, assertioni Romani Pontificis tunc standum esse, cum quidpiam à seipso gestum narrat, ei quæ narrationi maximè nititur; Rem verò ab alio quopiam gestam, super quam Summus Pontifex orationis suæ argumentum minimè fundet, posse non recipi, eò quòd tunc non tam Pontifici, quàm ijs qui rem Pontifici exposuerunt, contradicatur.

*z Vide Can  
de lecat.  
Theol. lib. II.  
cap. 3. & 5.*

30 Affine his videtur, si respondeatur, Innocentium idcirco dixisse, neminem Apostolorum excepto Petro, & ab eo missis in Hispania alijsq; eo loci enumeratis Regionibus docuisse, quia id eius ætate nondum erat scripto traditum. Hanc verò explicationem non esse ab Innocentij mente alienam ipsemet videtur significasse, cum subiecit: *Aut legant si in ipsis Pro-*

uincijs alium Apostolorum inuenitur, aut scribitur docuisse. Quod si non legant, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium recepisse, non dubium est. Itaque ad Historicorum lectionem Innocentius ablegat, quorum neminem sua ætate reperiri, qui secus scripsisset, probè nouerat. Nam quòd ad Paulum attinet licèt certum sit, Paulum Romæ, & alibi in Occidente prædicasse, non censetur tamen seiunctus à Petro, imò idem quodammodo dici possent Petrus, ac Paulus quoad doctrinam, & prædicationem, non personarum vnitate, sed prædicandi & instruendi identitate: vt doctè, & eleganter Archidiaconus, & Præpositus inquit. Hieronymus autem siuè Sophronius, qui Thomam Germanis; Nicephorus, & Dorotheus Abbas, qui Simonem Britannis, & Afris; Beda, & Alexander Monachus qui Barnabam Liguribus, atque Insularibus; Chrysostomus, Hieronymus, Apringius, Isidorus, & alij, qui, vt postea fusè dicemus, Iacobum Hispanis Christi fidem disseminasse scribunt, Innocentio posteriores extiterunt, aut certè ad eò æquales, vt illorum de hac re scripta Innocentius fortassis legere nequiuisset. Scripto igitur hæc tum non planè constabant, sed, vt rebus domesticis, & municipalibus fermè accidit, traditione solummodo. Ad hunc modum Aedes illa Lauretana sacratissima, & Cœli, terræque miraculum; ante 300. fermè annos, nullis scriptorum monumentis, sed votis tantum vocibusque piorum hominum celebrabatur. Id ipsum Guadalupensi, & montis ferrati vetustissimis, & Augustissimis Templis accidisse, sunt qui obseruauerint. Porrò Traditiones singularum Urbium, siuè gentium rarus exterorum est, qui noscat, aut perquirat: vt proinde mirum non sit, Innocentium Pontificem Albæ genitum, Romæ educatum, minus sciuisse, quid Hispani, quid Afri, quid Britanni, absque scripto, conscientia tantum, atque animi deuotione fouerent.

Nos autem hoc potius effugio, quam firma responsione, posse quempiam à tertio hoc argumento elabi, minimè arbitramur; quippè B. Innocentius non obiter scripsit, aut retulit id quod de Petro fundante Occidentis Ecclesias recitatum est, sed consultò profus, & accuratè, vt eius verba indicant. Ab omnibus enim seruari debere, quod Romana seruat Ecclesia ex eo præcipuè concludit, quod manifestum sit, in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, atq; Siciliam, Insulasq; interiacentes, nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, atq; eius successores constituerunt sacerdotes. Itaque cum id Beatissimus Pontifex sciens prudensq; asseueret, & notū manifestūq; esse grauisimis verbis edicat, quis audeat rem tantam à tãto Præsule scriptam, atque in Sacros Canones à Gratiano relatam, eiusmodi ratione huic rei inepta, negare?

31 Quocirca probabilior mihi videtur ea verborum Innocentij explicatio

quam

quã Præpositus affert Cõmentario suo in cap. Quis nesciat. dist. II. Neminem quidem ante Petrum fundasse, & instituisse Occidentis Ecclesias: non negare tamen Pontificem, Apostolorum, aut discipulorum Christi aliquem, etiam in Occidentem iuisse, & prædicasse ante Petrum, modo Ecclesiam in occidentalibus ijs, quas enumerat, Prouincijs, non fundauerit, aut instituerit. Quippè valdè diuersum esse aiunt fundare siuè instituire, Ecclesiam, atque simpliciter prædicare: Nam fundatio Ecclesiæ dicit constructionem, & dispositionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. i. Episcoporum, Sacerdotum, & aliorum Ordinum seriem: & leges conditas, atque sancitas: at simplex prædicatio verbi Dei hæc non comprehendit. Probasse quodammodo hanc explicationem videtur aut, certè, non improbasse, Baronius Cardinalis, quippè qui tom. I. Annal. ad annum Christi 39 u. 16. simili modo exponit illud Eusebij, & Anacleti, atque aliorum veterum Scriptorum asserentium, Antiochenam Ecclesiam à Petro fuisse fundatam: Ait namque non idèò negari alios quosdam ante Petrum Antiochiæ prædicasse Euangelium; iam enim ex Luca Actorum cap. 8. haberi eos qui post B. Stephani necem dispersi sunt fideles, illuc abiisse, & prædicasse Christi fidem. Ad eundem igitur modum inquam ego, cum S. Greg VII. scribit Ecclesias Africæ erectas à Petro constitutasque fuisse haud perinde negat, illic aliquandò prædicasse Simonem Apostolum, quod tradūt Nicephorus, & Dorotheus. Itaque Innocentio ad hunc modum exposito, omnia quæ aduersari videbantur, fortassis dilui possunt. In primis non obstabit Innocentius Pauli in Italia, atque Hispania prædicationi; tùm quia, uti supra dicebamus, Paulus nequaquam intelligendus est seiunctus à Petro (Ecclesiam quippè Romanam, quæ nimirum in Occidente est, vnà cum Petro instituisse certum est) tùm etiam quod breui illa, dũ Hispaniam inuisit, prædicatione, nullam inibi Ecclesiam fundasse memoratur. Similiter Iacobus, primus quidem omnium, & ante Petrum (si tamen Petrus eò vnquam profectus est) Hispaniam adiit, at paucos solummodo aliquot ad Christi fidem conuertit, hoc est, semina Diuini Verbi obiter iecit, quæ nihilominus in magnâ profectò messem, alijs atq; alijs colonis eadè subit de arua subigētibus, postmodum excreuerūt. Multò minus Innocentius tollet Simonis Apostoli Africanam atque Britannicam expeditionem: quia neque ante Petrum Africam adiit Simon, neque in Britannia Ecclesiam vllam fundasse, siuè firmis radicibus Euangeliũ in ijs regionibus fixisse legitur. Thomas verò, aut Germaniam quidem peragrauit, & solummodo, ut Hieronymus, & Sophronius ascribunt Euangelium docuit, aut si etiam illius Prouinciæ Ecclesias fundauit, atque erexit id non fecit ante Petrum, siuè à Petro illuc ablegatos: quando quidem, uti Baronius ipse ex recepta Germanarum Ciuitatum traditione, & Romani Martyrologij auctoritate commemorat, biam

Petrus

a lib. descrip  
Eul.

b A. 8

Decemb. &  
29. Decēb.

c Paul. Dia.  
Chron. de  
Epif. Meisf.

Petrus miserat ad Illas regiones Apostolicos viros Eucharium, Aegistum Crescentem, & Marcianum. Denique licet Barnabas Ecclesiam Mediolanensem erexisse scribatur, ipsum tamen vel à Petro Mediolanum missum verisimile est, vel ante eum iam Marcus Petri discipulus in Insubriam, Hermagoras Aquileiam, Anathalon, siue Anatholius Mediolanum, & Syrus Ticinum, & Christianam Religionem inuexerant. Ante eum inquam: nam Barnabas, vt euincit Baronius, nono, aut decimo anno Claudij in Italiam venit; Marcus verò anno primo Claudij vnà cum Petro Romam accessit, & anno secundo ex Vrbe petens Alexandriam, Italiæ Ciuitates aliquot peragrasse censendus est, septennio videlicet ante Barnabam.

32 Tertius denique respondendi Modus, & omnium meo quidem iudicio, solidissimus, atque verissimus erit, si Innocentij verba simpliciter, & absque ambagibus vllis intelligamus; Videlicet neminem prorsus vlla ratione docuisse, aut instituisse Ecclesias nisi illos quos Beatissimus Petrus, aut eius Successores constituerunt, vt id munus obirent. Hæc Responsio est Archidiaconi, Turrecremata, Hugonis antiqui Canonum Interpretis ab Archidiacono laudati; Ioannis item auctoris Glossæ in Gratianum, Præpositi Mediolanensis, & aliorum Doctorum in dictum cap. Quis nesciat. dist. 11. Atque Nicolai Lyrani in cap. 16. Epistolæ ad Romanos propè finem; Et quorundam etiam huius ætatis Scriptorum. Itaque miror tot eruditos Viros qui de hoc Iacobi accessu aduersus Baronium fusè scripserūt, hanc veram, & germanam verborum Innocentij explicationem præterijisse, alijs quibusdam interim adductis, quæ eruditi, & prudentis Lectoris animum fortassis non implent. Vt autem horum sententia intelligatur simul, & probetur, supponendum est ex doctrina S. S. Patrum, quos disertè, & eruditè allegat Turrecremata li. 2. de Ecclesia cap. 32. 33 & 34. & post cum Salmeron tomò suorum Operum 12. Tract. 63. longè probabiliorem esse illorum opinionem qui asserunt Apostolos, tametsi potestatem Ordinis omnes acceperint immediatè à Christo Domino, potestatem tamen Iurisdictionis non immediatè, sed mediante Petro accepisse. Afferunt ad id probandum Turrecremata, & post eum alij, multorum Patrum grauisima dicta, sed mihi, ne sim æquo longior, satis erunt hæc pauca, quæ selegimus. Anacletus Epist. 3. & dist. 21. cap. In nouo perspicuè asserit, *A Petro post Christum in nouo testamento sacerdotalem ordinem cepisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro Principe*, Innocentius, Epist. ad Concilium Carthaginense: *Ad nostrum, inquit, approbastis referendum esse iudicium scientes quid Apostolica Sedi debeat, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emerfit.* Idem Epist. ad Victricium: *Incipiamus ergo adiuuante Deo, & Sancto eius Apostolo Petro*

per quem

per quem, & Episcopatus, & Apostolatus cepit exordium. Leo Magnus Epist. ad Anastasium Tarsensem Episcopum: Inter Beatissimos Apostolos in pari honoris consortio fuit quadam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt emereret. Idem serm. 3. In Anniuersario suæ electionis: Si quid cum Petro Deus voluit commune cæteris esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quicquid alijs non negauit. Ex his igitur habetur Episcopatum, & Apostolatam omnem à Petro tanquam à capite, tanquam à Pastore non solum Agnorum, id est, inferiorum hominum, sed etiam Ouium, id est, Episcoporum omnium, atque ipsorum etiam Apostolorum, dependere: ipsique Petro noui testamenti Iosepho, fratres suos fuisse subiectos, quoad Iurisdictionem, & Ecclesiæ gubernationem. Hinc Paulus Petro par dicitur à Patribus, merito, gloria, passione, non clauibus. Hinc Iacobum Alphæi filium Coapostolum suum Petrus consecrat, ordinatq; Episcopum Ierosolymorum. Hinc Pauli Euangelium, & prædicationem Petrus probat, & confirmat alioquin nisi ipse probasset. Ecclesia illi omnino non crederet, vt disertè dixit Augustinus lib. 28. contra Faustum cap. 4. His freti doctrinæ firmamentis, atque exemplis, non dubitarunt posteri, & recentiores doctores multò clariùs de hac re atque explicatiùs loqui: Potestas, argumentatur Durandus, d qua tota data est vni in suo fonte non est in alijs nisi deriuata, & limitata pro voluntate illius: sed potestas Iurisdictionis qua est ad regendum populum tota, & in suo fonte data est Beatissimo Petro, & eius successoribus, quando cura Ecclesiæ ipsi soli commissa est post Resurrectionem Christi dicentis ad eum. Pasce oues meas: hoc enim nulli Apostolorum dictum est, nec tunc, nec antè, nec postè; ergo totam potestatem, & plenam solus habet Petrus eiusque Successores, nec est in alijs, nisi deriuata & limitata secundum placitum Papa. Eadem ferè habet Richardus de Mediauilla laudatus à Præposito in suo Tractatu de potestate Ecclesiæ dist. 15. Ipse verò præpositus ex ista generali doctrina de Prælatione Petri supra cæteros Apostolos, ad Iacobum, & Paulum de quibus disputamus deueniens, apertissimè docet, e hos & alios Apostolos per B. Petrum accepisse etiam prædicandi facultatem, & ab eo; in suam quemque prouinciam ad disseminandum Christi Euangelium fuisse missos. idque firmat grauissimis argumentis petri de Palude, & Card. Turrecrem. qui eandem tutati sunt sententiam. Quod ipsum breuius at te eum dixerat Glossa Decreti, in Hispaniam scilicet, aliasuè Occidentis regiones neminem nisi Apostolum Petrum, vel alium ab eo missum Ecclesiam vllam instituisse, aut docuisse. Ad stipulatur disertis verbis huic opinioni etiam Archidiaconus, nullus, inquit, nisi Petrus, vel ab eo missus, in Occidente docuit Christi fidem. Et Paulo Petrus dedit auctoritatem prædicandi. Vnde ipse dixit de Petro: Dedit mihi dexteram: & ita fuit institutus à Petro, & auctoritatem, & confirmationem dicendorum accepit à

d. 4. dist. 24.  
q. 5. nu. 5.

c. in cap. 12.  
Do. dist. 19.

f. in dist. c.  
Quis uescia

g To 1. Ap.  
pend. 1. ad  
lib. 2.  
Bellarm. col.  
48. & col.  
1289.

Petro, ut in Actibus Apostolorum habetur. Denique acerrimus ille Bellarmini Propugnator, ex placito aliorum Theologorum disertè notat, *g datam à Christo fuisse reliquis Apostolis summam potestatem, & vniuersalem toto terrarum Orbe prædicandi facultatem. sed dependenter à Petro.* Et alibi scripserat. *Quidquid à Diuo Paulo alijsq; Apostolis actum est, id auspicijs Summi Pastoris Petri actum esse: sub hoc enim Pastore pauperunt Christi ouiculas Alij omnes Apostoli, & Pastores.* Et tom. 2. fol. 507. optimè concludit, *Nec S. Iacobum in Hispanias, nec S. Paulum Romam & in alias Orbis partes concessisse nisi ductu, & auspicijs Petri, tanquam Summi Pastoris, & Ecclesiastici Gubernatoris: & hoc respectu Innocentium scripsisse id quod scripsit.* Itaque quod Iacobus Apostolus in Hispania Iudæis, & Gentibus, uti suprà probatum est, & infrà latius probabitur, Euangelium prædicauerit; quod Bracarensi Ecclesiæ, ut tradunt, Petrum Ratiatensem, primum Episcopum dederit; quod ex eius discipulis septem postmodum ex Vrbe in Hispaniam directi fuerint, qui fata ab Iacobo femina verbi percolerent, hæc omnia Auctore Petro facta fuisse, censendum est. Innocentius verò quod de Occidentis Ecclesijs dixit id ipsum pariter dicere poterat de Ecclesijs Orientis, sed quia ad Episcopum Eugubij, hoc est, Urbis in Occidente sitæ, respondebat, ideò satis illi fuit de Occidentis Regionibus pronuntiasse.

33. Tam igitur, sic declarato Innocentij dicto, facile nunc erit alias paulò ditersas difficultates, quæ ex Ambrosij, & Hieronymi verbis emergent, tollere. Et de Ambrosio quidem explicando, non est cur nos laborem aliquem infumamus; Ipse se explicat, docens Paulum eo loco non de Apostolis, sed de Pseudoapostolis loqui, de quorum malis artibus non semel aliàs in Epistolis suis conquestus est. Exponit igitur Ambrosius hoc modo locum illum; *Paulum scilicet non prædicasse ijs quibus per Pseudo Apostolos nominatus fuisset Christus, quia illi sub nomine Christi, populos sibi mancipabant, quod postea corrigere maximi erat laboris.* Et ad finem Commentarij subdit: *Pseudoapostolis difficile fuit iter ad Hispanos vsq;. Quocirca Romanos, qui iam in legem inducti fuerant, interim per Epistolam corrigi. Ad Hispaniam verò sit arduus iret, nihil fore molestum.* Verba igitur illa Pauli, & Ambrosij, *Quia illic (in Hispania videlicet) Christus non erat prædicatus,* quæ in nos Aduersarij intorquere voluerunt, nihil prorsus officiant, sed nostræ potius sententiæ mirificè fauent. Potuit quippè Paulus in Hispania post Iacobum prædicare, quia ibi non Pseudo-apostolus aliquis, sed Iacobus Zebedæi fidißimus Christi Apostolus prædicauerat. Vide Lector quam elumbe euaserit argumentum, quod in speciem adeò validum videbatur.

34. Hieronymus verò cum dixit, *Paulum fuisse vocatū à Domino, ut prædi-*

caret

caret Euangelium de Ierosolymis, vsq; ad Illyricum & adificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat predicatum, sed vsque ad Hispaniam tenderet, &c. Si iuxta ipsius B. Hieronymi mentem alibi apertè prolatam intelligatur, nihil minus habet, quàm quod Aduersarij volunt. In primis non potest Hieronymus intelligi, vt velit hoc loco affirmare, Paulum idcirco prædicasse in Hispania, quia ibi à nullo alio fuerat prædicatum Euangelium: nam eadem ratione negasset (quod tamen cùm verissimum sit, negare non poterat) in illis quoque regionibus, quas ab Ierusalem vsque ad Illyricum, & ab Oceano vsque ad Oceanum prædicando peragravit, fuisse ab aliquo alio, saltem alicubi, prædicatum. Hoc tamè, vtpotè verissimum, neque Paulus, vt dixi, neque Hieronymus negare poterant. Constat enim ex ipsis sacris literis, non solum antequam Paulus prædicaret, sed etiam antequam ad Christum conuerteretur, tum à philippo in Samaria, & in via Gazensi, tum à Petro, & Ioanne in multis Samaritanorum locis fuisse Christum annunciatum.

35 Præterea Hieronymus ipse in Commentario suo super Epistolam ad Romanos, clarè ostendit, quomodo dicta Apostoli verba intellexerit: ac proinde non egemus alio qui B. Hieronymum nobis explicet præter ipsummet Hieronymum, qui sanè videtur egregiè collineasse ad Pauli scopum, & mentem. Ait quippè per stare Apostolum in confirmanda sua sententia quam paulò ante asseruerat, se scilicet esse Apostolum Gentium ab eo maxime tempore, quo vnà cum Barnaba diuinitus destinatus fuerat, & missus ad prædicandum Gentibus: quæ videlicet, neque legem, neque Prophetas, neque fundamentum vllum fidei olim habuerant: & adducere Paulum Hiaïæ locū, h qui apertè de Gentibus est, *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Igitur iuxta hanc B. Hieronymi explicationem, illa Pauli verba non sunt intelligenda de Iacobi, aut alius cuiusquam Apostoli prædicatione, sed de prædicatione veterum Prophetarum, quam cum ad Iudæos non autem ad Gentes de Christo factam fuisse sciret, ideò, Gentibus ipse Gentium Apostolus prædicans, verissimè dixit, *Nequaquam se super alterius fundamentum adificasse.* Amplectuntur eximiam hanc Paulini loci expositionem à B. Hieronymo allatam doctissimi viri Arias Montanus, & post eum Salmeron, atque alij nonnulli. Et mihi certè videtur germanissima, quia ex ipso contextu elicitur; quicquid interim recentiores quidam aliorum abeuntes, dicant.

h. Isai. 25.

36 Verùm quia erit fortassè quispiam, qui tametsi ex ijs quæ diximus, iam certus sit de Ambrosij, atque Hieronymi mente; eos scilicet non adduxisse verba illa Pauli, vt quempiam ex Apostolis in Hispania, ante Paulum prædicasse negarent, nolit tamen stare horum patrum expositi-



onibus, contendatque ex ijs ipsis Apostoli verbis aliqua ratione colligere, neque Iacobum, neque vllum alium Apostolum, Hispanis Christum annuntiasse, ecce profero alias quasdam eiusdem loci expositiones vt prudens Lector quam sibi maximè placuerit eligat, & manifestè percipiat, ea Pauli verba casto prorsus labore aduersus Iacobi ad Hispanos accessum adduci.

37 Est igitur tertia expositio Hugonis Carenfis eruditissimi Cardinalis, ijs verbis haberi, Paulum vt plurimum illis prædicasse, quibus nondū fuerat annuntiatum Euangelium Christi: itaque Apostolum non prorsus negare, se aliquandò illis etiam prædicasse, quibus iam Euangelium fuisset illatum, sed vt plurimum, ἐπὶ τὸ πλεῖστον, se super alienum fundamentum non ædificasse. Huic Hugonianæ expositioni fauet, tum vulgaris Sacræ Scripturæ phrasıs, imò omnium hominum loquendi vsitatissimus modus, qui, quod perrarò euenit, appellant impossibile, & è contrà, quod vt plurimum fit, id simpliciter, semper fieri pronunciant: tum etiam Græcus Apostoli textus, qui habet, φιλοτιμώμενος εὐαγγελίζεσθαι idest, *conatus sum prædicare*: quasi dicat, quantum in me fuit, in illud potissimum incubui, vt ijs prædicarem Euangelium, quibus nondum prædicatum fuisset. Eiusmodi autem loquendi modus non prorsus excludit, quin aliquando, perrarò licet, in tanto totius penè Orbis circuitu, etiam aliquibus prædicauerit, quibus iam alij Christum annuntiasent: quos inter, nihil prohibet Hispanos adnumerare, præsertim, cum Iacobi prædicatio ad eò paucos conuertisse dicatur, vt vix nouem, vel, summum duodecim numerentur.

38 Denique (vt quartam, & postremam afferamus expositionem) esto ijs verbis Apostolus omnem prorsus præcedentem prædicationem excludat: Esto, neget se ijs prædicasse vnquam, qui Christi notitiam habuissent, potuit idem nihilominus in latissima illa Hispaniarum Regione, quæ Appiano teste, *tam latitudine quam longitudine sua decem millia stadiorum explet*, alicubi ædificare, vbi nullum Iacobi aliusuè prædicatione, fundamentum fidei iactum fuisset: quemadmodum in alijs Prouincijs Arabia, Phœnicia, Syria, Cypro, Pamphylia, Phrydia, Lycaonia, Cilicia, Phrygia, Galatia, Mesia, Achaia, Macedonia, Bythinia, Thracia, atque Epiro, quas è Palæstina ad Illyricum tendens, peragrauerat, repperit quidè alios Apostolos, & Petrum maximè, atque Andream, iam antea prædicasse, nihilominus verè potuit scribere, *se super alienum fundamentum non ædificasse*. Hæc de loco Apostoli. Mihi verò prima, & secunda expositio maximè placent.